

Bibliothèque numérique

medic@

**Le Monnier, Louis-Guillaume -
candidat / Baron, Hyacinthe-Théodore
- président. - An Variolis Narcotica ?**

1740.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2328 n°140***



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCAE
Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda in Scholis Medicorum die Jovis secundâ
Junii M. DCC. XL.

M. HYACINTHO-THEODORO BARON,
Antiquo Facultatis Decano, Doctore Medico, Præside.

An Variolis Narcotica?

L.



ORBORUM medicatrix Natura hostem ipsa sæpe proprio Marte debellat. Hic Sanguine torpidiora vasa ex Naturæ voto dirumpuntur, & solvitur Plethora. Illic Naturæ viribus subacta morbi materies, & ad coctionem perducta, vomitu rejicitur, aut expuitur bronchialibus secreta glandulis, vel in intestina depluens alvo subducitur, mox sudorum subit canaliculos, interdum urinæ viis amandatur foras, quandoque in Pus conversa abscessu defluit, demum ad Cutem demissa, cutaneis eruptionibus originem præbet. Hos Naturæ motus diligenter observare, sedulo imitari, sapienter dirigere, Medici officium est. Ardua sanè res & difficultatum plenissima; nunquam tamen periculosa magis, quam cum Variolis apparentibus ad Cutem Natura vergit. Hujus itaque Morbi mores & ingenium scrutetur Medicus, illius perquirat exordia, observet exitus, ut Naturam legibus mechanicis obsequentem, arte suâ quæ legibus mechanicis imperat, datâ occasione juvet, moderetur, cohibeat. Naturæ nomine, Sistalticam fibrarum corporis organici virtutem intelligas, fluidorumque motus. Hæc sunt vitæ organum, sanitatis tutela, morborum principium, & sanationis instrumentum. His positis & vigentibus, ponitur vita, vigetque sa-

nitatis ; his malè affectis, terris incubat agritudinum numerosa cohors ; his rectè admistratis prudenterque directis, en habes potentissima artis salutifera præsidia. *Variolosa* humorum diathesis delicatissimas corporis fibrillas molestè vellicat? Præsto adest vasorum sistaltica virtus, morbi fomitem impugnatura, ingeminant oscillationes, pulsant validius arteriæ, attenuatur humor, ad exilissimos Cutis tubulos amandandus. Hic Naturæ mireris artificium & imiteris. At si uberior, acriorve morbi materies potentiùs stimulet, si naturæ irritationis impatiens inconsideratè tumultuetur, ita ut, omnibus sus-deque versis, humor ad cutem propellendus, vel caput impingat, vel aggrediatur pectus, vel in intestina feratur præceps, jam non minister otiosusve spectator esto, sed ducis & magistri personam induc. Uno verbo ea adhibenda sunt in Variolis remedia, quæ meditatam à naturâ morbificæ materiæ secretionem juvare, quæ eruptioni favere, quæ symptomata compescere valent.

I I.

VARIOLÆ dirum Morbi genus. Vere & Autumno potissimum ingruit. Hoc omnibus infensum hominibus, pueros frequentius at benignè magis, adultos, senesque ferociùs aggreditur. Febris adest inflammatoria, pulsus duritie, ardore cutis dignoscenda? Hanc præcesserunt rigor & horror? Comitatur lumborum, capitisque dolor dignoscenda? Hanc præcessit torquetur ventriculus? Convulsivis moribus agitur puerilis ætas? adulta sudore diffuit? Variolas imminere puta. Interim continuo furore sævit febris, non ante tertium quartumve diem remissura. Tunc febris ardore subacta morbi materies separatur à sanguine, eliminatur ad peripheriam, cutemque punctulis rubentibus distinguit, in facie, collo, pectore, manibus, & reliquo corpore prodeuntibus. Hæc pustularum rudimenta crescunt in dies, crescente pariter, quæ ægrum valde præmit, faucium dolore & angustia. Mox pustularum interstitia, totamque cutem invadit inflammatio: sic inflammata cute, arctantur perspirationis spiracula, & universa tumescit corporis superficies. Assidui inflammationis comites, rubor, tensivusque dolor per omnem habitum diffunduntur, denud suscitatur ac recrudescit febrilis æstus. Hujus motu & calore, qui devios cutis canales subierat sanguis, inflammationis parens, sensim alteratur, coquitur, puris acquirit indolem, albescunt pustulæ, maturantur. Jam sedatâ inflammatione defervescit ignis, suus redditur Perspirationi exitus, detumescit facies, detumescunt artus, & pustulæ exsiccatæ decidunt, relictis atroxubentibus vestigiis. Multitudo pustularum morbum constituit, non quidem specie, sed symptomatis & periculo longè diversum. Discretum Variolarum genus placidè ut plurimum sua absolvit tempora, at si confluant pustulæ, copiosissima morbi materies ad cutem magno flumine prorumpens, vix omnis ab eâ contineri potest, & intus restitit malorum iliadem suscitatura. Densiori pustularum numero, inflammatione vehementiori, majora impedimenta neuntur perspirationi, quæ si uberrimo salivæ profluvio, & enormi capitis, manuumque intumescentiâ non compensetur, de agro conclamatur. Medicus igitur, Naturæ sedulitatem, quâ hæc in discretis variolis morbi fomitem digerit, separat à sanguine & foras eliminat, sectari debet & æmulari, sed dum copiâ materiæ morbificæ lacescitur, suarum ipsa legum obliviscitur natura, & (ut in confluentibus accidit) sævit absque normâ, ipsam moderari debet ac dirigere.

I I-I.

NARCOTICA, ex Papaverum genere potissimum resumenda, Populis Orientalibus ad animi securitatem, suavitatemque vitæ, nobis ad ægotantium levamen usurpanrur. Multiplex eorum usus. Errat qui ea sopori consiliando præscribit tantum. Languentes excitare corporis vires, tumultuantes compescere Narcoticorum est. Stricta relaxant, laxata constringunt, obstructa referant, emolliunt rigida, amissum partibus restitunt tonum. Disparium effectuum principium idem, prudentia Medici, qui ea sæpiùs rariâve, largiori vel pariori dosi, non tam officinalis mensuræ, quàm corporis habitû ratione subministrat. Opium corrigere frustra tentares, nullius particeps vitii, alterari non amat. Præstat quale profertur à Naturâ, sordibus repurgatum. Aliis tamen medicamentis, Bechiis, Stomachicis, Histericis, &c. aptè sociatur. Sic Theriacâ, Laudano liquido Sydenhamii, Diafcoordio, Pilulis de Cynoglossâ, & pluribus aliis feliciter instruantur officinæ. Horum exhibitâ parciore dosi, statim, velut jubente Medico, enormes cruciatus, pertinaces vigilie sedantur, placidâ quietudine & exoptato sopore subsequuntibus. Mirabilis istius energię causam quæris? Experientiam consulas, primarios Opii scruteris effectus. Hujus quarta grani pars, vix conspicua, vix cum corporis humani mole comparandâ, inordinatos ipsius motus compescere valet. Virtus anodyna

omnes sese diffundit in artus. Quanta partium subtilitas! Quanta divisio! Corpora diuturno Narcoticorum usui assuefacta, fluidiori & floridiori, etiam post mortem, replentur sanguine, assumptis *Opiatis* altius micant arteriæ. Quid inde? Narcoticum *Opii* sulphur summæ volatilitatis & ætheræ tenuitatis particeps, sanguini immixtum, ipsi tenuitatem, raritatemque conciliat. Hinc non immerito resumendæ Narcoticorum proprietates, pro variâ dosi aut corporis dispositione, diversæ vel etiam oppositæ. Attenuato Sanguine, uberior adest spirituum proventus, eodem rarefacto, collapsi vasorum parietes distenduntur, solida inter & fluida restituitur æquilibrium, & nimis evacuationibus dejectæ refocillantur vires. Subtiliori factæ Sanguine, qui in arteriarum capillamentis hærebat humor jam venis faciliè transmittitur, & sublata obstructione tollitur dolor obstructionis comes. Restituto liquorum motu, cessat, quæ ab impeditis distractisve nervis oritur convulsio. Num largiore dosi ulterius attenuatur, rarefiscitque Sanguis? Magis dilantantur arteriæ, & comites comprimunt nervos. Sic spirituum tumultuantium cohibetur impetus, membranarum spasmodica tensio resolvitur, exquisitior earum obtunditur sensus, omnia reducuntur in ordinem. Hæc proprietatum varietas plurimis in morbis Narcotica commendat, ne exceptis quidem variolis, in quibus humoris morbifici secretionem juvant, eruptioni favent, symptomata compescunt.

I. V.

SECRETIONES in sano corpore non nisi lentiori humorum ad secretoria apellentiant motu, & inducâ quâdam quiete perficiuntur. Ne putes aliter *Variolosum* humorem secerni posse. Quietis opus est ut heterogeneæ secedant particulæ. Hinc pater sedantis medicamenti necessitas, dum sæpè primaria Variolarum febris, magis quam par est sæviens, aut diutius producta, omnes succos tumultuosè agitat, secernendos confundit & immiscet, eosque rapido torrente cum reliquâ sanguinis massâ abripit, cutaneis subripit ostiis. Sed quid melius quam *Opiata* abnormes istos cohibebit motus? Num crassior fluidorum consistentia hos vehementes naturæ conatus suscitavit? Narcotica medicamenta omnium maximè attenuantia, crassos humores placide digerendo, omnia compescunt. Num à sanguinis acredine stimulata sic furit vasorum sistaltica virtus? Narcotica ipsorum spasmodicam tensionem resolvunt, & anodynâ virtutè adversus acrium morbus ipsa præmuniunt. Perinde sit ac si mitis esset humorum indoles; sic turbulenti sedantur fluidorum motus, sic fallitur deleteria humorum vis, sic Narcocitis prudenter administratis ed reducitur febrilis æstus, ut cum Variolarum materiæ coctioni suffecerit, ipsius secretionem non pervertat. At in Variolis Cardiaca prædicat, Cardiaca postulat præjudicata opinio vulgi dictaturam in Medicinâ ambientis. Sed en adest in *Opio* Cardiaca virtus ed præstantior, quod dum Cardiacorum æmuletur dotes, ipsorum nesciat incommoda. Dum enim sanguinem attenuant *Opiata*, dum motrices fovent corporis vires, simul cuti molliem & laxitatem conciliant, undè appellentibus cedere possit liquoribus. Quid consilii est sanguinem fortiter cogere versus Cutem, si nimis stricta non relaxetur? Vis igitur Variolarum eruptioni f. vere? *Opiata* porrige. Hæc votis obsequentur non humores validiori impetu propellendo, non ardorem & æstum quibus convelluntur omnia excitando, sed sedando, sed Spasmodium removendo. Quid faciei manuumque tumori salutarifero, quid Ptyalismo alteri eruptionis vicario felicius opitulabitur? quàm ea quæ & cutis renitentiam tollunt, & salivæ conservant fluiditatem, amissamve restituere valent. Inordinati fluidorum motus expende pericula, quantum eruptionis felicitati adversatur! Hic exilium cutis tubulorum repagula superans, crudam humorum colluviem vi extrudit, illic omnem sanguinis massam ita subigit, ut in Variolas fere tota prorumpat. Par utrinque discrimen. Confluunt Variolæ, quæ secus distinctarum numero adscribi potuissent. Observatione constat ed magis confluere Variolas, quod citius aut erumpunt ipsæ, aut erumpere coguntur. Quidni igitur, suadente prudentiâ, pustularum multitudini præciditur ansa? Quidni ea usu veniunt medicamenta quibus turbas & tumultus componere datum est? Horum ope, quiete inducâ, non affatim nec uno impetu ad cutem tumultuose ruit excernendus humor, sed sensim quâ proportionem coctus seceratur, eadem amandatur foras. At quietis nomine non intelligas Naturæ resolutionem. Naturæ vires non enervat *Opium*, moderatur tantum & detrahit quod superest, si rectè præscribatur.

V.

PESSIMUM in Variolis confluentibus symptoma Putrida febris. Hæc circa undecimum morbi diem accedens, ægrum in sanitatis portu sæpè perimit. Hujus causa multitudo pustularum. Cum enim maturuerunt Pustulæ, teris uberrimisque vaporibus ægrum undique obvolvuntibus, tum puris copiâ, quam resorbent oscula venarum, insicitur sanguis, febriles accenduntur motus, stipantibus calore, jactatione, delirio, anxietate, suffocatione molestissimis, donec vene-

4

no prostratæ succumbant vires. Sed nonne hîc suam conferent symbolam Narcotica? Ita sane nec mediocrem. Quæ confluentibus Variolis occurrunt *Opiata*, eadem, laxatâ cute, puri faciliorem concedent exitum, efficientque ut in venas parcius refluat; imò si pus refluierit, dum spirituosam diathesim humoribus conciliant, adversus virulentam illius indolem viscera protegent. Imminetia à calidiori regimini inspicias mala, sedantium Anodynorum que resplendet utilitas. In Variolis ad cutem Naturam vergere, sudoribus ægros diffuere vident, hâc viâ propellendam esse morbi materiam clamitant, qui licet in Medicinâ parùm sapiant, plurimum tamen se sapere credunt. Stragulis obruuntur ægri, exulat venæ sectio, calidiora affatim exhibentur medicamenta; quid inde? nimium incitata citò fatiscunt ægri vires, uberrimi sudores exprimuntur, & cum tempore suo coctus morbificus humor eliminari deberet, jam crassior, & effæto pulsus robore, constrictam calidior regimine cutem permeare nequit. Nunquid hæc damna reparare & avertere valerent *Opiata*, quæ humoribus subtilitatem, membranis flexilitatem conciliare possunt? Sæpius, immixtis calidioribus particulis & calidiori regimine, tanquam igne supposito, supra modum effervescebat sanguis, undique quâ data porta ruens, viscerum vascula perfrumpit, aut in ea impactus hæret. Hinc acutissima progerminant symptomata, pertinaces vigilie, delirium, Phrenitis, Coma, Sputum sanguinis, mictus cruentus, Diarrhæa, maculæ purpureæ. Hæc, quibus regimine temperato, diluenti & anodyno obviam ire satius fuisset & facilius, non aliter quàm iteratis largioribus Narcoticorum dosibus vinci se patientur. Sic enim moderatâ sanguinis ferociâ, effrænique tumultu composito, sic resolutis stagnantibus fluidis, sic sedato corporis habitûs Erethismo, placidus circulationis restituitur ordo, crudelia fugam capescunt symptomata, nativæque versûs peripheriam determinationi obtemperat *Variolosa* materies. Non minori cum successu, refrigeratis intempestivè ægotantibus, subvenient *Opiata*. An externo frigore repereussæ protrudendæ sunt Variolæ? inductam à frigore cutis stricturam removebit vis *Opii* antispasmodica. An Venæ sectione aut Catharsi inconsultè celebratis, resolutæ jacent ægri vires? viribus reparandis & eruptioni promovendæ mirè confert frequenter repetita, parcior *Opiati* dosis. Cæterum ne credas Narcotica omnem curationis implere paginam, quantum præstant opportune adhibita, tantò funestiora sunt si ægro non rite præparato porrigantur. Proderit diluens refrigeransque victus. Proderit linteorum mutatio, & reliquus ardorem, inflammationemque temperans apparatus. Proderit blandâ Catharsi ad Intestina derivare uberiores puris copiam, quæ venas subiens, Putridæ febri ortum præbet & fomitem. Proderit & sanguinis missio, quæ corpori plethorico, succis vè male moratis saginato immixta *Opiata* tempestates & tumultus excitarent, vacuatis & dilutis humoribus omnia ad pacem component. non te moretur vesanus vulgi timor, ne sanguine missio, mox erupturæ, aut jam erumpentes Variolæ, reflectantur ad præcordia: imo detractâ oneris parte, reliquum à naturâ facilius ejicitur, concessâ sanguini fluendi libertate vegetiùs pullulabunt pustulæ, graviora symptomata præcavebuntur aut evanescent. At his parum proficientibus, omne sæpe tulit punctum Hypnoticum prudenti manu concessum. Hujus ope multitudo pustularum, & symptomata illam comitantia depelluntur, male erumpentes Variolæ ad Naturæ normam reducuntur, jam eruptæ augmentum & maturitatem feliciter adipiscuntur.

Ergò Variolis Narcotica.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

<i>M. Joannes Baptista Ludovicus Chomel, Medicus Regis ordinarius designatus.</i>	<i>M. Antonius Casamajor.</i>	<i>M. Gabriel Amonius Jacques.</i>
<i>M. Hyacinthus - Theodorus Baron.</i>	<i>M. Raymundus De la Riviere.</i>	<i>M. Claudius De la Vigne de Frecheville Medicus & Dominus Regine ordinarius.</i>
<i>M. Ludovicus-Maria Pouffe.</i>	<i>M. Franciscus-Josephus Hunauld Regiæ Scientiarum Academiæ & Regiæ Societatis Londinensis Socius, in horto Regio Anatomæ & Chirurgiæ Professor ac Demonstrator.</i>	<i>M. Joannes Damianus Chevalier, Regis Consiliarius & Medicus ordinarius in Insulâ sancti Dominici.</i>

Proponebat Parisiis LUDOVICUS GUILLELMUS LE MONNIER, Parisinus
Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1740. à sextâ meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1740.